



Jerusalem. Tempore Christi fuit hic oppidum pulchrum e opulentum, et in destructione Jerusalem fuit et ipsum desolatum. Postea autem restauratum fuit per Marcum Cornelium et nominatum Nicopolis: pro cujus instauratione Julius Africanus legationem suscepit, ut dicit Jeronymus de viris illustribus. Sed jam Sarraceni ex toto destruxerunt, et praecipue ecclesiam hospitii Christi, cujus ruinae solum in fundamentis patent. Adhuc hodie stant per villam testudinata habitacula alta et magna desolata, et pauci homines ibi habitant. Loco hoc sacro perspecto ulterius progressi sumus, et per montuosa loca transeuntes in collibus vidimus ruinas multarum capellarum et ecclesiarum, et de alto in vallem descendimus, quae per transversum ab aquilone in austrum vergebat, per quam nos ab occidente in orientem tendentes transire necesse fuit. Erat autem vallis Therebinthi, in quo David Golyam gigantem lapidibus de torrente electis prostravit, et caput sibi amputans in Jerusalem illud tulit 1. Reg. 17. In medio ergo torrentis stetimus, et loci dispositionem consideravimus. Est autem vallis fertilis, et stant hodie in ea multi therebinthi et sunt arbores praestantes, in Syria maxime crescentes, resinam sudantes. Sunt autem in duplici specie, scilicet masculina et foeminina, et duplicem habent fructum. Masculus habet fructum ruffum magnitudine lentiscalae, de qua saepe multas arbores vidi. Faemina vero fructum habet pallidum magnitudine fabae; de his fructibus tunditur oleum sapidum et bonum.

De eo, quod peregrini viderunt civitatem sanctam Jerusalem, et de ingressu eorum in Jerusalem, dulcissimam urbem.

(B) Evagationis nostrae causa praecipua erat dulcissima civitas Iherosolyma, cujus odor per orbem flagrans undique ad eam currere facit fideles. Itaque de valle Therebinthi ascendimus, et dimisso oriente contra austrum in clivo montis processimus, et ad hortos arborum, olerum, et ficorum venimus inter macerias ascendentes. Et coniectis oculis ad dexteram, ecce ut fulgur civitas sancta saepe nominata et

250

248

254

244

259

239

299

199

349

149

Ende

Anfang